

180
1787, 45.
PROCANCELLARIUS
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBURGENSIS CANONICVS
PANDECT. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR
ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

IO. FRID. THEODOR. ROLLII

A. M

A. D. VIII. MARTII MDCCCLXXXVII

PVBICE CELEBRANDA

INDICIT

De poenis exemplaribus



PROGENCITATRIAS
TOS FAD INN PATTMANNS

EX LIBRIS M. A. H. G. S. 103
M. A. H. G. S. 103
M. A. H. G. S. 103

10 TYPICUS BOZ ROLFI
LIBRIS GERMANIA

10 TYPICUS BOZ ROLFI
LIBRIS GERMANIA

LIBRIS GERMANIA

10 TYPICUS BOZ ROLFI

28



*De
Poenis exemplaribus.*

Plerique eorum, qui de iure criminali exposuerunt, cum de poenis loquuntur, inter emendatrices et exemplares distinguunt, et alterutrunt, scilicet ut aut delinquens melior reddatur, aut alii a simili culpa deterreantur, ad poenam reo infligendam sufficere autumant. Ita sane non modo veteres, sed etiam recentiores, qui acutum his in rebus videre et corniculum oculos configere sibi videntur. Furto, inquiunt, si te alligas aut adulterio, ergastulo te mancipamus, ut frugi fias, nec vicini pecuniae aut vxori blandulae amplius infideleris. Sin rapinam admittis aut caedem, aut aliam grauiorem noxam contrahis, caput tibi amputamus, aut gulam laquo frangimus. Et quare? An, ut emendari? Nequaquam. Pugnant enim haec, meliorem aliquem reddere, eique enī caput rotare, inter se maxime. Cedo igitur causam! Ideo scilicet, ut alii ad delinquendum fiant tardiores, nihilque tale in posterum admittant ipsi.

Itane vero, inquiunt alii, vos iustum et aequum ducitis, maestare homines ob incertum euentum culpamque alienam, de qua nondum constat, an reapse unquam exstitura sit? Itane solus similis culpae metus, isque fortasse inanis, seu mera, ut ira dicamus, possibilitas vobis, ut immisericorditer homines ad acheronta mittere hanc dubitetis, sufficit?

IV

cit? Canes quidem apud Romanos olim viuos arboribus adfixos suppicia annua pependisse nouimus, idque haud aliam ob causam, quam quod ali canes multo ante tempore Capitolium negligentius custodierant, idemque silentio, ni anser esset vociferatus, prodidissent. Leones in Africa cruci quondam adfixos esse relatum legimus ideo, vt certi metu poenae simili noxa absterrerentur^a). Et facile huiusmodi exempla brutis edi in animalibus patimur. Sed hominum profecto alia ratio est. Nae solius exempli causa fratres nostros (ecquis enim fratres inter se homines esse insicabili-
tur?) igne cremare aut rota contundere piaculum ducimus. Merito hodie abhorremus a victimis illis humanis, (de qui-
bus exposuit IAC. DE RHOER in *Feriis Dauentriens. Lib. I.*
cap. 1.) et quantulum, quaesumus, ab iis distant poenae ca-
pitales, quae solius exempli causa a delinquentibus repetun-
tur, quibusque humana miseria haud minuitur, sed etiam augetur^b)

En L. B. diuersissimas virorum doctorum sententias, et quidem in re haud parui, sed maximi profecto momenti, in qua, quotquot humano generi bene cupiunt, consentire in-
ter se maxime deberent. Quodsi poenas exemplares e nu-
mero poenarum plane deleri patimur, illicet, actum est de
suppliciis capitalibus omnibus, propterea quod eum, quem meliorem reddere rectamque in viam reducere velis, carni-
fici necandum tradere mera stultitia esset. Sin easdem reti-
nendas censemus, periculum est, ne difficultatibus, qua-
rum

a) Vid. PLINII hist. nat. Lib. 8.
sc. 18. et Lib. 29. c. 14.

b) Conf. Versuch einer Anleitung
zur Sitzenlebre für alle Menschen, ob-
ne Unterschied der Religionen, nebst

einem Anhange von den Todesstrafen
(Berlin 1783.) P. IV. p. 208. item-
que das peinliche Halsrecht der Te-
nenrißaner (Osnabrück 1783.) p. 58. et
194. Alios praetereo sciens.

rum partem iam recensuimus, maximis implicemur. Quamcunque igitur concedamus in partem, nonnihil offendere, et lupum auribus quasi tenere videmur. Faciamus tamen periculum, an superare hasce difficultates possimus viaque aliqua media tuto insistere liceat.

Cardo rei in eo vertitur, quinam verus poenarum sit finis, et quo demum animo in facinorosos animaduertere debeamus. Et PAVLVS quidem in l. 20. *D. de poen.* poenam in emendationem hominum constitui scribit, eodemque tendit VLPIANVS in l. 1. §. 1. *D. de I. et I. Iustitiam,* inquiens, colimus, bonorum non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione efficiere cupientes. Idem contra VLPIANVS in l. 6. §. 1. *D. de poen.* ait: *Quod quidem faciendum est, ut exemplo deterriti minus delinquant.* Nec aliter TRYPHONINVS in l. 31. pr. *D. depos.* *Male meritus publice, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia fit, etiam egestate laborare debet.* In eandem sententiam QUINTILIANVS Decl. 274. Quoties noxios cruci figimus, celeberrimae eliguntur viae, ubi plurimi intueri, plurimi commoueri hoc metu possint. *Omnis enim poena non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum.* Atque hinc CAESAR, (referente HIRTIO Libr. VIII. de B. G. cap. 44.) cum suam lenitatem cognitam omnibus sciret, neque vereretur, ne quid crudelitate naturae videretur asperius fecisse, neque extum consiliorum suorum animum aduerteret, si dinersis in locis plures rebellare consilia inissent, exemplo supplicii deterrendos reliquos existimauit, itaque omnibus, qui arma tulerant, manus praecidit, vitam concessit, quo testerior esset poena improborum, itemque AVIDIVS CASSIVS (teste

c) Vid. C. G. GMELINS *Grundsätze der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen* (Tübingen 1785) §. 14.

VVLIC. GALLICANO *in vita eius cap. 4.*) desertoribus aut manus excidit, aut crura et poplites incidit, dicens, maius exemplum esse viuentis miserabiliter criminosi, quam occisi. Sed nec hoc suo caret incommodo, propterea quod, cum quotidie miseros videmus et corpore mutilatos, consuetudo eiusmodi spectaculi callum quasi hominum animis obducit, facilitatemque ad illis succurrenti minuit aut plane extinguit. Verissime CIC. pro Rosc. Amer. cap. 53. *Cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus aut audimus, etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis esse animis amittimus.*

Ego quidem finem poenarum principem non nisi unum, ciuum puta securitatem s. reip. tranquillitatem, esse existimo, cumque is finis obtineri queat, siue eo redigantur mali, ut in posterum nolint, siue vt non amplius possint delinquere, hoc est, siue emendentur, siue nocendi facultas illis adimitatur, simulque alii exemplo moniti a delictis deterreantur, patet, duplarem ob causam poenas irrogari, scilicet, vt cum ab iis, qui iam deliquerunt, tum ab aliis, a quibus idem forte metuendum est, securi praestemur.^{d)} Poenis igitur, si CICERONEM de Off. I. 22. audias, vtimur, et ne is, qui deliquit, tale quid posthac committat ipse, et vt ceteri sint ad iniuriam tardiores. Eodem fereredit, quod SENECA de Ira I. 16. scribit: *Omne poenae genus remedii loco admoueo, et ib. II. 31. Ne homini quidem nocebimus, quia peccauit, sed ne peccet, nec vnguam ad praeteritum, sed ad futurum posna referetur. Non enim irascitur, sed cauet.* Haud sane defunt, qui scelerata
qui-

d) Tres puniendi causas, νοστραν, νυκτεριναν, παραδειγμα,) ut scilicet poena adhibeatur vel emendandi gratia, vel ad tuendam dignita-

tem eius, in quem peccatum est, vel exempli causa,) memorat GEL. LXV N. A. VI. 14.

quidem, sed non sceleratos ipsos extirpandos, poenisque
humanis (s. vt ipsi dicunt, arbitriis) plane haud opus esse
existimat.^{e)} Enim uero cum tanta multorum hominum
peruersitas sit, vt nulla ratione, nisi metu poenarum a crimi-
nibus absterrantur, profectoflare nec domus, nec resp.
potest, nisi culpam poena premat comes, nullaque facino-
rosis spes impunitatis relinquatur. Verissime cic. in *Verr.*
III. cap. 89. *Reip. salus deerit, si improborum exemplis improbi*
iudicio ac periculo liberabuntur, et iam SOLON remp. duabus
maxime rebus contineri dixit, praemio scilicet et poena.
Nec aliter *EVRIPIDES* in *Hecuba v. 300.*

— Νόμω γάρ τες θεές ήγούμεθα,
Καὶ σῶμεν, ἀδικα καὶ δικαὶοις μάστιγενοι.
Ὥστις σ' ἀνελθὼν, εἰ διαφθαρήσεται,
Καὶ μὴ δικηγόρουσιν οἵτινες ξένες
Κρένεστον, η̄ θεῶν λεπτὸν τολμῶσιν Φέρειν,
Οὐν ἐστιν ἐδὲν τοῖς ἐν ἀνθρώποις ἰσον.

— *Legē enim deos censemus*
Et vitius, iniusta et iusta nobis proposita habentes.
Quae lex, ad te progressa, si corrumpetur,
Et non poenam dabunt, qui hospites
Interficiunt, aut deorum sacra audent capere,
Non est quidquam inter homines aequabile.

Quemadmodum autem, si non omnes, certe plerique
de necessitate poenarum consentiunt, eandemque usus etiam
et experientia satis confirmat, ita contraria ex parte multi
animum inducere nequeunt, vt credant, ius fasque esse poe-

e) Vid. *Versuch einer Anleitung WECKHLEINS* *Ungedruckte P. I.*
zur Sittenlehre für alle Menschen, in p. 82.
præf. ad P. IV. p. 14. s. itemque

VIII

mis exemplaribus viri, et in facinorosos exempla edere, quibus alii a simili culpa deterreantur. Quo enim, inquit, iure tu in nos animaduertes eam ob causam, ut inde alii sibi exemplum petant, virtutisque viam haud deserant arduae? Quo iure tu ciuium securitatem et reip. tranquillitatem nostris redimes cruciatibus? Quo denique iure vitam nostram, aut corpora bona nostra aliorum saluti felicitatique impendes? Et qui scis, an futurum sit, ut supplicium nostrum iis ipsis innotescat, qui, absque eo fuisse, similem culpam contraxissent? Nonne, et si quotidie in facinorosos animadvertis, nihil tamen minus indies furta, adulteria, homicidia, et quidquid vnuquam concipitur nefas, fieri videmus? Nonne saepius, eo ipso momento, quo fures suspendebantur, alios sub parabulo spectatoribus nummos aliasue res subtraxisse auditum? Quare autem scelera adhuc incerta et fortasse nunquam extitura sanguine nostro luere debemus? Estne haec mera barbaries, infania mera? Estne hoc reapse saeuire in genus humanum, et, quemadmodum

VIRGILIUS Aen. II. 576, ait,

— — *sceleratas sumere poenas?*

Evidem verba audio multa, argumentorum nihil. Aut magnopere fallor, aut boni illi viri, quid sibi velint, et in quo demum cardo rei vertatur, haud intelligunt. Mihi quidem etiam ipsi poenis praecipue ideo vterendum esse videtur, ut facinorosi aut emendentur, aut, ne amplius remp. turbulent, impediatur. Idem vero haud intelligo, quare nefas sit, in poenis infligendis eo simul respicere, ut metus inde ad plurimos perueniat. Nihil sane prohibet, quominus quis, dum causam principem agit, simul etiam secundariam spectet, eademque de fidelia duos dealbare studeat parietes. Confundunt igitur aduersarii causam poenarum principem cum

euim altera illa minus principali et prioris quasi pedissequa, faciuntque intelligendo, ut nihil intelligere videantur. Multum utramque in partem (qua bonam, qua malam) valere exempla, sciunt omnes, qui vel leuiter, quid in his terris agatur, compertum habent. Serpunt enim vitia, et in proximum quemque transiliunt, et contactu nocent. Mollissime suaderet exemplis, cumque maxima pars hominum natura s. consuerudine (quid enim natura aliud est, quam consuetudo?) lubentius ad mala, quam ad honesta legibusque consentanea feratur, dici vix potest, quam facile etiam notae exempla pessimae suos inueniant imitatores. Vetus dictum est: *Bonos mores mala corrumpunt exempla*, eoque perniciens de rep. vitiosi merentur ciues, quod non solum via concipiunt ipsis, sed ea infundunt in ciuitatem, neque solum obsunt, quod ipsis corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato, nocent. Praecclare VELLEIVS II. 3. 4: *Non ibi consistunt exempla, unde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime euagandi sibi viam faciunt, et ubi semel recto deerratum est, in praeceps peruenitur.* Sunt sane multi in imitando adeo seruum pecus, vt, si quid ab aliis fieri videant, illico inde exemplum sumant, quo sibi licere id facere, quod alii fecerunt, putent, cumque *Charea Terentiano* dicant:

— *Quia consimilem iuferat*

Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi.

Ego homuncio hoc non facerem? — —

Quidni igitur is, qui prauo suo nocuit exemplo, aequo patiatur animo, damnum inde ad remp. redundans poena ab ipso subeunda quodammodo reparari et resarciri? Nae magna est peccandi illecebra spes impunitatis, verissimeque TERENTIVS *Heaut.* III. 1: *Deteriores omnes sumus licentia,*

B

nec

nec non CICERO in Verr. III. cap. 76. O consuetudo peccandi! quantam habes incunditatem in improbis et audacibus, cum poena absuit, et licentia consecuta est^f)

Quod autem aduersarii dicunt, poenas exemplares nullius esse utilitatis, et nihil quidquam ad praecauenda criminis valere, id ipsum quotidiana refellitur experientia. Sint sane nonnulli adeo peruersi et pertinaces, ut alienis suppliciis haud moueantur, sed nihilominus in peruersitate sua perseverantes facile mortis adeant periculum. Erunt autem, sat scio, contraria ex parte complures, qui cum ab aliis poenas sumi seueras viderint, in se ipsis descendant, serioque de salute sua cogitare incipient. Vbiique videre licet homines, qui, et si malis, quae flagitia ipsa secum ferunt, haud moventur, poena tamen vel mediocri terrentur, ideoque a peccatis sese abstinent. Notum est exemplum virginum Milesiarum, quae quidem omnes repente sine ulla evidente causa (fortasse, quia amoris aestu agitabantur,) voluntatem ceperant obeundae mortis, ac deinde plurimae vitam suspendio amiserant. Quod cum indies accideret crebrius, neque animis earum mori perseverantium medicina adhiberi posset, decreuerunt tandem Milesii, ut virgines, quae corporibus suspensis mortuae essent, omnes nudae cum eodem laqueo, quo essent praeuictae, efferrerentur; post quod decreatum virgines, pudore tam inhonesti funeris deterritae, voluntariam mortem haud amplius petierunt^g). In militibus peccata vel leuissima contra disciplinam militarem admissa puniri videmus. Quid? quod relatum legi, quodam in exercitu in illos

f) Bene SYMMACHVS II. 33. *Viam est, quod mea peticio et ceterorum voce desiderans, ut pro iustitia sua multum esse non finias, quod ex-*

emplo grauissimum erit, nisi ausus aliorum vehementer poena compresserit.

g) Conf. GELLII N. A. XV. 10.

illos adeo animaduerti, qui ex equo in terram deciderint, indeque vulnera vel grauissima contraxerint, itemque in eos, quibus inter equitandum vis venti pileum de capite abstulerit, et si nulla suspicio sit, rem ex compacto actam esse, eosque cum vento, ut id faceret, conspirasse, aut illum pecunia adeo corrupisse; hanc ipsam autem severitatem admundum esse salutarem, propterea quod, ea recepta, iam raffissime milites ex equo in terram cadant, aut pileum amittant. En quanta sit vis exempli, et quam verum sit, quod dici solet: *Vnius poena, metus multorum!*

Etsi autem sic poenas exemplares quodammodo defensimus, easque haud plane reiiciendas esse censemus, hoc tamen ita intelligi volumus, ut poena, quam reus suo meruit delicto, ob exemplum aliis praebendum haud augeatur, neque reo ideo dolor vllus inferatur aut cruciatus. Quid enim, si quando peccauit, ad me pertinent peccata aliorum futura? Quare ego meo dolore aut incommodo impedire debeam, ne alii in posterum similem contrahant culpam, aut aliis malefactis reip. damnum deni? Hoc iustum et aequum esse, et si omnes, qui ita sentiunt, vnum in locum conueniant, capitaque inter se conferant, idoneis rationibus nunquam probabunt. Fac igitur, meruisse aliquem maleficio suo laqueum aut gladium. Fasne erit, exempli edendi causa reum ante mortem virgis caedere aut alio modo cruciare? Nisi lex quaedam eiusmodi poenam iam ante delictum perpetratum fancinerit, nequaquam! Qui enim scire potuit reus, ita aliquando visum fore iudici suo? Et qui seis, reum, si id compertum habuisset, delictum nihilominus perpetratum fuisse? Quid? quod dudum intellexerunt cordatores, poenis capitalibus exasperatis plane non opus esse, sed

tuto iis carere posse remp.^{b)} Dudum multis displicuerunt flagellationes illae aliquique cruciatus, quibus ante ipsum supplicium in reos ad mortem damnatos et olim vtebantur, et passim etiamnum vtuntur. Acerrima crudelitas est, inquit SENECA de Ben. II. 5. quae trahit poenam, et misericordiae genus est, cito occidere. Nocet magis, quam prodest poenarum atrocitas, propterea quod non modo feros reddit ciuium animos, sed etiam efficit, vt, ne eo deuenientur, impunita saepe maneant scelerata. Vbinam nostra hac aetate atrociores in vsu sunt poenae, quam apud Turcas? et ubi nihilominus frequentiora et atrociora sunt maleficia, quam inter eosdem Mahometi sectatores? Bene SENECA de Clem. I. 17. Morbis medemur, nec irascimur. Atqui et morbus animi mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minime infestum aegro. Mali medici est, desperare, ne curet. Idem in his, quorum animus affectus est, facere debet, cui credita salus omnium est, non cito spem proiicere, nec mortifera signa pronunciare. Nulli regi gloria est ex sacra animaduersione. At contra maxima, si vim suam continet, si multos irae alienae eripuit, neminem suae impedit.

Sed quid de ipsis poenis capitalibus statuimus? quae sane ad emendationem rei haud tendunt, sed solius exempli causa excogitatae esse videntur. En quaestionem difficultem et arduam, vnde vita salusque multorum hominum pender!

Equi-

b) Conf. 10. MOORE Abriss des gesellschaftl. Lebens und der Sitten in Italien, P. I. p. 262. P. M. RENAZZI in Elem. iur. crim. P. II p. 36. Nihil, inquit, magis fini poenarum congruit, quam ut palam delinquentibus instigantur, coque apparatu, qui,

quo minus fieri potest, illis acerbis, aptior ramen sit ad vulgi animos extitandos et deterrendos. Ita e. g. apud Romanos parricidae plauso nigris bobus iuncto ad supplicium deportabantur. Vid. I. N. FVNC. CIVS ad XII. Tab. p. 347.

Equidem scio, quid pro iustitia poenarum exemplarium eorumque capitalium fortasse dici probabiliter possit. Scilicet salus populi, ut CICERO *de Leg.* III. 3. ait, suprema lex est, Iam quemadmodum in mari, quando diurna malacia ac tranquillitas nauim, quo minus ex loco mouere se possit, impedit, tandemque dira fames vectores cogit sorte definire, cuius corpus escam praebere reliquis debeat, infelix ille, quem sors designauit, iuste maceratur; ita dubitari vix posse videtur, quin multo magis reus, qui reip. non modo peccato, sed malo etiam nocuit exemplo, hoc ipsum morte sua quodammodo expiare, ultimoque suo suppicio aliis exemplum praebere teneatur. Ita fere HELVETIVS (*de l'esprit* II. 6.) Quidquid, inquiens, ad utilitatem publicam facit, id omne iustum et aequum est. Sed cum hoc, quatenus utilitas publica cum singulorum incommodo coniuncta est, in summa demum necessitate, cum scilicet alia deest ratio expedienda salutis, utrum sit, hoc quidem argumentum mihi sufficere haud videtur.

Etsi igitur nequaquam ius adiupulor, qui omnes poenas capitales reprobant planeque abolendas censem, idem tamen animum inducere nequeo, ut delinquentes solius exempli causa macerare ius fasque esse existimem, quippe qui cum CAESAREⁱ⁾ mortem a Deo immortali non suppicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturae, aut laborum ac misericarum quietem esse putem. Itane vero, inquis, neminem ob delictum vel atrocissimum morte multandum existimas? Nec hoc dixerim, qui porius poenis capitalibus tunc utique locum relinquendum esse statuo, cum omnis spes emendationis decollat, nihilque superest, nisi ut reus impe-

B 3 diatur,

i) Vid. CIC. *Catil.* IV. 4.

XIV

diatur, quo minus remp. amplius turbet, quod quidem aut ultimo suppicio, aut, quod certe multis durius videbitur^{k)}, carcere perpetuo, seu ut CICERO *Catil.* IV. 5. ait, aeternis tenebris vinculisque fieri potest. Facit huic exemplum coniurationis Catilinariae, cuius socios, vtpote reip. maxime periculosos, vtique necandos censebat D. IVNIUS SILANVS, cumque eo CICERO l. e. cap. 6. Quaero, inquiens, si quis paterfamilias, liberis suis a seruo interfectis, vxore occisa, incensa domo, supplicium de seruis non quam acerbissimum sumserit, vtrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus et crudelissimus esse videatur? Mihi vero importunus ac ferreus. — Sic nos in his hominibus, qui nos, qui coniuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt, qui singulas vniuerscuiusque nostrum domos, et hoc vniuersum reip. domiciliū delere conati sunt, qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis huius urbis, atque in cinere deslagrati imperii collocarent, si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur, sin remissiores esse voluerimus, summae nobis crudelitatis, in patria ciuiumque pernicie, fama subeunda est. „Et ipse adeo BECCARIA^{l)}, etsi poenis capitalibus iniuriosissimus, tunc tamen iis locum relinquit, quando a delinquentium vita reip. periculum imminent. Praeclare apud LIVIVM I. 28. TVLLVS HOSTILIUS: Metti Fustiti, si ipse disce-
re posse fidem ac foedera seruare, viuo tibi ea disciplina a me ad-
hibita

k) Semel enim moritur, qui ultimo plectitur suppicio, cum contra, qui perpetuis tenetur vinculis, quotidie mori videatur. Mortem, inquit SENECA in *Troad.* V. 927 misericors saepe pro vita dabit.

ee de litterature, Vol. III, p. 28. Iure certe Rom. perpetua vincula prohibita sunt, l. 35. D. de poen.

l) In libr. de delict. ex poen. §. 16. p. 97. edit. gallica, quae sine men-
tione loci ann. 1766. prod.

hibita effet. Nunc, quoniam tuum insanabile ingenium est, at tu tuo supplicio doce humanum genus, ea sancta credere, quae a te violata sunt. Haec sit regula nostra, quam in poenis infligendis sequamur; haec decempeda, qua in modo poenarum definiendo vtamur.

Haud quidem desunt, qui eiusmodi supplicia e numero poenarum eximant, eaque subsidia potius iustae defensionis appellare malint. Vereor autem, ne tota haec controversia in item super verbis inanem abeat. Quodsi enim civis reip. delinquendo legibus haud soluitur, nec subiectus esse definit, poenaque nihil aliud est, quam malum passionis ob malum actionis (aut omissionis) a superiori inflatum; dubitari vix potest, quin ultimum eriam supplicium a reo, ex praescripto legum adeoque iuste, sumtum poenae nomine recte insigniat.

Vt iam repetam orationem, haec est summa sententiae meae. Poenae, quae solius exempli causa a delinquentibus expertuntur, iniustae sunt: eae contra, quae praeципue quidem eo tendunt, vt delinqens aut frugi fiat, aut, quo minus amplius reip. noxius sit, impediatur, simul autem alios terrent, vtque inde sibi exemplum petant, commonesciant, modo hoc sine rei dolore et cruciatu fiat, non modo iustae, sed reip. eriam salutares, adeoque retinendae sunt. Leges quidem ad delicta eorumque coercitionem pertinentes ideo sanciuntur, vt, qui sponte boni haud sunt, quosque natura ipsa refinere in officio non potest, ii metu poenarum maleficis summoneantur; ipsa autem delictorum coercitio ideo praecipue fit, vt facinorosi in posterum melius sapere discant, aut, si id fieri nequeat, reip.

XVI

reip. saltem nocere amplius haud possint. Male igitur C A T E T A N . F I L A N G I E R I V S^{m)} scribit, in poenis infligendis non tam delinquentis, ut scilicet emendetur aut corrigatur, quam potius aliorum, ne exemplo corrupti ipsi etiam maleficiis remp. turbent, rationem haberi. Nullum profecto maius dare reip. beneficium potest Princeps, aequae ac magistratus, quam si monendo, corrigoendo, coercendo malis ex ciuibus efficiat bonos, simulque hoc paeſet, ut poenis, si haud nunquam, certe non nisi rarissime opus sit. Vere, si quid aliud, H O R A T I V S Ep. I. 16.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Tu nihil admittes in te formidine poenae.

Sit spes fallendi, miserebis sacra profanis.

Sane, si omnes, quid iustum et aequum, ideoque vere vtile sit, probe cognitum haberent atque perspectum, fieri vix posset, ut recto a tramite deflestant. Nae enim magnopere fallit, quod apud O V I D I U M Met. VII. 20. legitur: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Ego certe nunquam consulto aliquid me facere memini, quod non tunc, cum facerem, optimum factu iudicarem. Et quis tam stultus erit, ut pluribus ex rebus non id, quod optimum ipsi videtur, eligat atque praeoptet? Quare necesse est, ut hominibus maleferiatis etiam in poenis iis infligendis, quam amabilis virtus sit, ostendamus, eosque auctore V L P I A N O cum metu poenarum, tum praeiorum exhortatione bonos efficere studeamus.

Iam

m) In dem System der Gesetzgebung P. III. p. 518.

Jam ad se nos vocat, cuius indicenda nunc sunt solle-
nia inauguralia,

CANDIDATVS DIGNISSIMVS,

IO. FRID. THEODOR. ROLLE

A. M.

qui sua de vita, laudabiliter adhuc acta, ipse his verbis ex-
posuit:

*Natus sum Lucciae d. XXIII. Febr. MDCCCLXIV. Pa-
trem, Iohannem Theophilum, Serenissimi Ducis Saxonum
Gothani in rebus ad politiam spectantibus Commissarium et in pa-
tria Poligraphum, puer decem annorum amisi; matrem, Mariam
Dorotheam, e gente Brümmeria, superstitem adhuc veneror,
eique longam et felicem senectutem adprecor. Patri mortuo opti-
mus frater meus in munere publico, itemque in me educando suc-
cessit, cuius pietatem palam commemorare modestia vetat. Litte-
ris imbuendum accepit me affinis meus, Flemmingius, Med.
Licentiatus, venerandus Senex, qui tantam in me formando cu-
ram adhibuit, ut, quidquid in me litterarum sit, huius elementa
ei soli accepta feram. Anno MDCCCLXXIX. gymnasium Al-
tenburgense accessi, praeceptoribus usus Rechelio, Boernerio,
Laurentio, Doehlero, Rothio, qui ut fidelissima institutione
omnes de me meruerunt, ita Boernerii in primis et Laurentii singu-
lari benevolentia, huius etiam consuetudine frui sicut, adeo ut it-*

C

forum

XVIII

lorum temporum grata semper apud me exsistet memoria. Deinde
ao. MDCCCLXXXI. in hanec academiam me contuli, et a b. Clo-
dio d. II. Maii inter cives academicos relatus in litteris humanio-
ribus Morum, Eccium, Reizium, in Logica et Metaphysica
Platnerum et Caesarem, in philosophia morali et aesthetica
Platnerum, in iure naturali Sammetium, in iure publico uni-
versali Bienerum, Sammetium et b. Segerum, in gentium Eu-
ropaearum iure Bienerum audiui. Historiam mundi uniuersalem,
Imp. R. G. et statuum Europaeorum Wenkius, Statisticam, quam
vocant, Saxoniae Electoralis Arndtius me docuit. In historia
iuris et Institutionibus Bienerum et Sammetium, in Pandectis
Bienerum, in iure Germanico Schottum, in iure criminali
Schottum et Bienerum, in medicina forensi b. Plazium, in iure
Canonico Biedermannum, in clientelari iure Kindium et Biene-
rum, in ordine iudicario et iure Saxonico Electorali Kindium,
in arte relatoria Einertum, in iure I. R. G. publico Bienerum
et Erhardum optimos duces habui.

Neque etiam hic silendum est. Viror. Illust. Wenki et Kin-
dii singulare mihi patrocinandi studium, cuius tot tamque varia ab
utroque semper expertus sum documenta, ut gratissimum erga hos
viros animum sine neglecciae pietatis opprobrio maximo nunquam
possim deponere. — Praeside Kindio cum d. XXIX. Novembr.
MDCCCLXXXV. publice disputasse, illustre Ideorum Collegium
d. XXII. Dec. eiusd. anni me omnino et prae ceteris dignum prima
iuris

iuris laurea iudicavit. Sequentे anno d. XXI. Februarii ab Amplissimo Philosophorum Ordine magisterii honores impetravi, cuius etiam iura et priuilegia, defensa nuper e cathedra superiori dissertatione Historia iuris ciuilis de adsestoribus magistratum Romanorum inscripta, acquirere licuit: quo facto, ut summi etiam iuris vtriusque honores mihi decernantur, decenter petui.

Ad altiora igitur progressurus a Collegio nostro, ut summi in iure honores ipsi tribuantur, petuit. Huic desiderio, postquam in examine, quod vocant, rigoroso Collegii expectationi omni ex parte satisfecit, cum deesse haud potuerimus, ut publice quoque de eius profectibus constet, proximo die Mercurii in auditorio Istororum hora a meridie II. l. 30. C. de paci. interpretabitur, mox autem a. d. VIII. huius mensis hora IX. eodem loco dissertationem de *re scriptis mandatisue ab Imperatore, sine Statuum Imperii consensu, ad Iudicium Camerale datis vi et efficacia destitutis*, sine praefide publice defendet, quo facto *Vir Illusfr. Excellentiss. atque Consuliss. Dom. Avg. FRID. SCHOTTVS, Inst. Prof. Ord. Supremae in Provincia Curiae et Ordinis Istorum Lips. Assessor, fautor et collega honoratissimus*, cui ex eiusdem Ordinis decreto promotoris munus delegauit, summos in iure honores cum omnibus priuilegiis atque iuribus huic dignitati adnexis, sola spe ad sessionem in Collegio nostro adspirandi excepta, ipsi tribuet atque concedet.

Quam sollemnitatem VI RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPUBLICAE

BLICAE PROCERES GRAVISSIMI, CIVES denique GEN-
EROSISSIMI NOBILISSIMIQUE praesentia sua honorifica
splendidorem reddere velint, enixissime rogamus. Sc. Lip-
fiae a.d. IV. Martii MDCCCLXXXVII.

LIPSIAE
EX OFFICINA KLABBARTHIA




ULB Halle
003 335 402

3



96.



1787.45.

PROCANCELLARIUS IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBURGENSIS CANONICVS
PANDECT. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR
ASSESSOR

P 452
SOLLEMNIA IN AVGVRALIA
PRAECLARISSIMI CANDIDATI
IO. FRID. THEODOR. ROLLII

A. M

A. D. VIII. MARTII MDCCCLXXXVII
PVBLICE CELEBRANDA
INDICIT

De poenis exemplaribus

